



Disputatio medica inauguralis de dysenteria

<https://hdl.handle.net/1874/347233>

20.

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
DYSENTERIA,

QUAM,
DIVINO FAVENTE NUMINE,
Ex Auctoritate Magnifici Rectoris,

D. HERMANNI van HALEN,

S. S. Theologiae Doctoris, ejusdemque Facultatis in Inclytâ
Academiâ Ultrajectini Professoris Ordinarii, Verbique
Divini ibidem in Ecclesiâ Praeconis,

NEC NON

Amplissimi Senatus Academicorum consensu, Nobilissimeque
Facultatis MEDICÆ Decreto,

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in MEDICINA honoribus & Pri-
vilegiis ritè, & legitimè consequendis,

Eruditorum examini submittit

JEDIDJA SAFFORDUS SOMERSETO-Anglus.

Ad diem 22. Junii horis locoque solitis.



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiarum
Typographi, clœ lœc LXXXIX.

*VIRORUM
Plurimum Reverendo Pietate ac Eruditione spectatissimo*

D. THOMÆ SAFFORDO A.M.
Mysteriorum sacrorum Interpreti Facillimo, Doctissimo, Ecclesiæ Pastori Vigilantissimo, Fidelissimo, Orthodoxæ Veritatis Propugnatori strenuo,
Patrio Dilectissimo, Ætatem Colendo, Observando.

N E C N O N

Clarissimis Doctissimisque VIRIS
D. JACOBO VALLAN M.D.
In Illustri Academia Trajectina Facultatis Medicæ Professori Celeberrimo; Practico, solidissimis ex fundamenris, Solidissimo, Felicissimo; Promotori quoad vivam suspiciondo venerando.

D. JOHANNI MUNNICKS M.D.
Reipubl. Trajectinæ Polyatro Expertissimo, Anatomiæ & Botanices Professori ordinario;
Præceptoribus suis & Ductoribus facillimis, solertissimis omni Honore, & Observantia prosequendis,
Primitias basce,
Grati Devotique animi Testandi gratia,

Offert, Dedicat, consecrat.

JEDIDJA SAFFORDUS. Auct.

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
DYSENTERIA.
§. I.



Orborum omnium *Theoria*, & *Therapia*, Medicinam facienti accurate ; Peracutorum tamen, atque atrociorum, accuratissime, cognoscenda. Quare non inconsulto me facturum arbitror, si Academiæ legibus specimen publicum imperantibus, Dysenteriæ Naturam, Causas, Signa, atque Curationem, pro virili investigavero : quandoquidem peracutissimum saepe, nec non atrocissimum esse hunc

Affectum ex sequentibus symptomatibus, sat superque patebit, imo vel a voce ipsa aliquo modo patet ; de cuius Etymo non est quod multum disceptemus, cum sit origine Græca a *dys*, detrimentum, difficultatem, seu malam affectionem notante, & *intestina*. Latinis eadem fere, nec non diversæ aliæ voces obtinent, *Cels. lib. 4. C. 15. Tormina. Caelius Aurelianus Intestinorum Rheumatismum* vocat. *Paracelso* morbus dicitur *dissolutus*, *Nostratis* *The Bloody flux*, *or the Griping of the Guts*. *Belgis de Bloed-gang / of de Roode Loop*. Vulgo, minus tamen accurate, diversæ numerantur species *omnes dejectiones cruentas complectentes*, quæ videri possunt apud *River. Gal. &c.* quos, cum neotericorum sententia, (apud *Cl. Willis. Pharm. Rational. part. I. p. m. 149.* & feliciss. practicum *Sydenham. op. Cap. 3. §. IV.*) ad *dejectiones minime cruentas nomen hoc extende*nt, ut a nostro scopo alienas siccò pede præteribimus.

II. *Dysenteria ergo nobis erit motus intestinorum peristalticus acceleratus*, quo materia cruenta, mucosa, purulenta, saniosa, varia, frequenter, cum dolore & ventris torminibus excernitur. Ab *Hæmorrhoidibus*, *Diarrhæa*, similibusque loco, gradu, & materia satis distinguitur, verum enim vero ut magis in naturam morbi penetrare possimus, de partium

affectarum textura, & usu paucula prælibare opere præsumus, antequam ad pleniorum hujus morbi explicationem accedamus. *Partes affecta* sunt *Intestina*, quæ constant ex tribus Tunicis, quarum *Extima* membranosa est, qua mediante intestina omnia (exceptis eorum principio, & fine, & quadam Coli parte, quæ Omento affigitur) Mesenterio annexuntur. *Media* carnea est, duplice fibrarum motricium serie constans. *Intima* nervea, continetque non solum lacteorum, sed & innumera vasorum sanguineorum oscula, quæ crusta villosa, vel si mavis, tunica glandulosa *Cl. Willis.* obducuntur; cuius usus est tunicam nerveam defendere, ne nimis irritetur ab ulla materia acri, & pungente, quæ per intestina fluit. *Tunica* vero nervea ad sensum, & ad spiritus suppetendos, *Media* ad motum, ut & *Extima* pro cæterarum integumento, nec non loco Tendinis Tunicae musculari infervit: ex sententia *Dottiss. Willis. Pharm. Rational. part. 1. Cap. 2 § 1. p. m. 37.* Vasa habent Intestina omnis generis, arterias, venas, & nervos a mesentericis, nec non vasa lactea & lymphatica, quorum minutissima oscula in tunica interiori præcipue tenuium biantia confertissime reperiuntur. Usus & actio Intestinorum est, chylum, & fæces continere, a loco in locum promovere, subtiliores chyli partes in vasa lactea exprimere, crassiores vero ultra protrudere, donec per anum excludantur. Plura de his qui desiderant, adeant *Cl. Willis. Cap. prædict.* ut & alios Authores Anatomicos; ubi Tunicam glandulosam, Nervos, Tubulos, &c. vel ad minutias usque descriptos inveniant, quibus nos brevitatis ergo supersedimus.

III. His itaque præmissis progredimur ad Causas, quæ sunt vel Proximæ vel Remotæ. *Proxima Dysenteriae Causa* est vasorum sanguineorum apertio, sive illa fiat per *avæscumacsv.* i. e. ubi sanguis & humores per dilatata, & aperta nimis, vasorum orificia effluit: vel per *dissecutiv ablationem*, vasibus ruptis erosio &c. quæ quomodo fiat suo loco dicemus. *Causa Remota*, seu *Procatartica* est, unde morbus incipit; *Potentia* vel *Aetus* hæc πρόφασις, illa ἀφορμή dicitur.

IV. *πρόφασις* in *Materiatura* & *Structura* querendas arbitror. Ad *Materiaturam* pertinent partes corporis fluidæ; *qualitate*, *quantitate*, *moris*, vel *mixtis*; peccantes. *Qualitate* enim peccant, quando *tenuiores*, *salsiores*, *accidiores*, *acrioresve* existentes, vasorum oscula dilatando, referando, excedendo, vasis rupturam seu apertione excitant: Sec. illud Hip: de affect. T. 24, n. 10. p. m. 176. *Ægrotat quidem Sanguis*, *Et corruptus secedit*; *egrotat animus*, *Et Intestinum*, *Et raditur*, ac *exulceratur*.

ceratur. *Humor* etiam nimis *crassus*, & ad coagulandum prædispositus, ubi non satis commode, propter sui crastitiem, à tenuissimis vasculis recipi potest, facile in angustiis hæret; ibique moras necens, acrior fit, eruditque vascula tenerima. Quantitate etiam possunt humores peccare, quamvis à sola *Plethora* raro rumpuntur vasa, huic autem si accedit *Tertium*, humorum viz: major *motus*, humores, ita à tergo impulsi, dum vasa à *Plethora* nimis infaciuntur, & distenduntur, non facile cedentes, ruptionem efficiunt. Ad *Humores mixtos* referri potest, partium glandulosarum, aliarumque Fermentum, seu illud ita *acre* sit, ut proprius ad naturam *acidi*, quod frequentissimum, seu *salsi* seu *utrinusque mixti*, nitrosive accesserit; unde humores facilime coagulantur, vitiantur, & corrumpuntur. Tales autem humores, vel in *Intestinis* hærentes, vel aliunde, post alias morbos, eo delati, facilime *Affectum Dysentericam* producunt.

V. Ad *Structuram* pertinent *partes solidae* in quibus *Intestina* Considerationem merentur, præcipue quoad *vasa*, quæ in *Intestinis* præsertim *tenuibus*, *innumera*, quandoque etiam nimis *tenera* & *gracilia* sunt; quo *Sanguis* in vasis exilioribus multum coarctatur; *Arteriarum* etiam *tunicæ*, circa internam *Intestinorum* *tunicam* teneriores existentes, & oscula laxiora, fluxum *Dysentericum* facilitant. Quandoque etiam *Pori cutis* ita conformantur ut vix sufficient ad *transpirationem naturalem*, & à recremento quodam *Sanguinis* viscido, aut ab aere crasso, vel *levissima* quadam *causa*, *interna*, vel *externa*, obstruuntur, & occluduntur. Unde *Transpiratione* impedita, particulæ heterogeneæ in *Sanguinem* reducuntur, quem incrassant, & ad coagulandum aptum reddunt. Particulæ etiam crassiores adeoque magis per *alvum*, quam per alias vias, expurgari aptæ, arteriæ *cæliacæ*, & *mesentericæ* ductu, *intestinorum* *tunicis* inferuntur; ubi *Sanguis* cum recrementa sua *secernere*, & *excernere* nequeat, sui ipsius portiones maxime infestos, quin & seipsum effundit. Aliquæ autem particulæ heterogeneæ, *intestinorum* membranis infixæ, fibrillas nerveas vellicando, inordinatum, & majorem spirituum, & humorum in iis influxum, (unde varie agitari possunt tubuli, glandulæ &c.) imo *diahesin phlegmonoiden*, aut *ulcerosam*, quandoque *sphacelosam*, & cito *exitialem* inducunt. Hinc diversi foci, in M. S. *Ventriculo*, *Pancreate*, *Glandulis*, aliisve partibus, omnes, ad hanc Classem merito referuntur.

VI. Præcipuis igitur & maxime obviis causis quæ ad *ægrotatus* spe-

6 D I S P U T A T I O M E D I C A

stant, enarratis, ad *αφορμας* me converto quæ ambitu rerum non, naturalium continentur, aut quæ in hunc censum solent venire, inter quas primum sibi locum vendicat *Aer* (præcipue in Dysenteria Epidemica) qui cum, bonæ valetudinis, tum, morborum causa perquam universalis est; purus enim sanitatis, impurus morborum patens. *Mutationes imprimis temporum parunt morbos* *Hip. aph. 1. §. 3.* unde facile colligitur quare Autumno potissimum graſſentur Dysenteriæ, cum ea tempeſtas præ aliis variet. *Aer* nimis calidus & udus: vel post longam ſiccitatem in humidum conuerſus, Sanguinem reddit acriorem: *Aer* vero nimis frigidus, aut crassus, cutim obſtruit & particulas transpiraturas intercludit, unde Dysenteria, ut ex ante dictis patet. Ita ſi hyems ſicca & aquilonia fuerit, ver autem pluviosum & australe, neceſſum eſt aſtate febres acutæ fieri, & ophthalmias, & dysenterias, mulieribus pafertim & viris natura humidioribus, docente *Hip. aph. 11. §. 3.* Ab aere etiam, venenato quodam miasmate infecto, Dysenteria Epidemica reſultat, tale autem miasma à variis exhalationibus ſubterraneis, aut cadaveribus putrefientibus, aut excremента dyſentericorum plurimisque aliis ſordibus venit, quod, vel per inspirationem M. S. communicatur, vel cum Saliva oris miſcetur, cum qua ad Ventriculum deductum, naturale hujus fermentum corrumpit, imo per poros totius corporis penetrare in venas & intestina ibidemque hoerere, aut ultra Sanguini per venas lacteas communicari & per totum corpus diſpergi potest, ubi Sanguinis mixturam corrumpit, turbat, insipiat & in acredinem vertit: nec non Sanguinem & Spiritus diversimode agitando, & diversas in corpore mutationes inducendo, varia effecta, & horenda ſympomatata producere potest.

VII. Sequuntur nunc *Assumpta*, quæ vel qualitate vel quantitate peccantia facile nocent *Hip. aph. 4. §. 2.* cibo enim & potu, quibus vita manente omnino carere non poſſumus, dum ſecundum iſtitutum utimur, neque quantitate, nec qualitate peccantes, tantisper degimus ſani, nec facile cum morbis, cæteris paribus, nobis eſt luſtantum, ſecundum illud *Hip. l. de affect. §. 44. ad sanitatem optimam ſunt*, quæ modice iugesta ſufficiunt, ut famis & ſitis ſint medela. Si autem nimia copia aut qualitate peccantia ingeruntur, male concoquuntur; unde humores peregrini, & præternaturales gignuntur, & coacervantur, ſicque fores dyſenteriæ aperiuntur: hinc etiam cruditates, acores, & ſordes in primis viis accumulantur, quæ accersere poterint primo, Diarrhæam, poſt, Dyſenteriam Senis noſtri monitu *aph. 75. §. 7. ab alvi*

INAUGURALIS.

7

alvi profusio Dysenteria. Cæterum si concoquantur & inde copia sanguinis etiam laudabilis generatur, repletiones vasorum fiunt, quæ non possunt in eodem manere statu, neque quiescere aph. 3. §. 1. sed in de-
terioris vergunt & putrescant, imo quandoque rumpunt vasa.

VIII. Cæterum ex omnibus ciborum generibus fructus horæi, impuro & facile putrescenti succo constantes, notandi veniunt, cibi enim *διονετος* & *κακοχυμος* chylificationem laddunt, Hujus generis sunt mala dulcia, cruda, mala persica, pruna, pyra, uvæ, nuces, melones, cucurbitæ, fungorum genera, ut & dulcia omnia, salita, aut fumo indurata, quæ acriores & falsiores reddunt humores, Intestina vellicant, & spiritus in spasmos excitant. Quandoque etiam morâ acriores facti tunicas corrodunt. Potus etiam non rite defacati, liberalius assumpti, uti *musum*, *Cerevita dulcis*, *craffa*, *recens*, *vinum fructuarium* &c. Dysenteriæ ansam dant. Sic plumbo nimis tincti, plumbum enim plurimo scatet sale acri & corrosivo. Huc etiam spectant Medicamenta, & Venena, qualia sunt Cathartica vehe-
mentiora, Heleborina, Esulina, Antimonialia, Aqua fortis &c. quæ cum assimilari non possunt, tandem ad Intestina propelluntur; ubi fibras tunicarum vellicant & corrodunt; inter hæc etiam numerari possunt resinæ nimis subtiliter pulverisatae, quæ firmius asperæ Intestinorum tunicæ interiori adhaerentes, & acrimonia sua eandem exstí-
mulantes, faciunt ut glandulae innumeræ istic sitæ, Lympham suam acrem profundant, atque orificia vasorum sanguineorum exedant.

IX. De ceteris Rhebus n. n. brevitatis ergo non multum dicemus; à ni-
mio enim Ocio, Somno & Quietè sanguinem lentescere, obstructions oriri, humoresque excrementios accumulari; à Vigiliis & nimio Mora spiritus dissipari & sanguinem vappescere, adeoque morbo pro-
ducendo Symbolum conferre, quis negabit, quantum etiam *Animi pa- themata* vehementiora, ut *Ira*, *Timor*, *Matus nimius* hic possunt, mu-
tationibus, quas in sanguinie, & humoribus præstant, attendenti facile patebit. Excretiis & Retentis accententur solitæ evacuationes sensibiles suppressiæ. Ad Causas præternaturales referantur *Variole*, *Empy- ema*, *Febres magagna*, *ardentes*, *Lumbrici*, *Inflammatio Intestinorum*, *Cholera*, *Diarrhae* & alii morbi qui Dysenteriam producunt Sympto-
maticam. De quibus Authores abunde scripsierunt ad quos lectorem
ablegamus; & ad *Differentias* properamus quarum præcipuas solum re-
censemus.

X. Dysenteria itaque alia est intensa, alia remissa, alia continua,
perio-

8 D I S P U T A T I O M E D I C A

periodica alia. *Ratione*, *Causarum* nunc enim oritur à bile, nunc à pituita particulis acidis falsis impregnata, aut à fermento quodam acido & coagulante, alia etiam ab ulcere alia non; illius tres statuuntur gradus apud authores secundum magis & minus differentes. 1. In quo sunt excrementa vulgo pinguia (revera mucilaginosa & pituitosa) exiguo cruento perfusa. 2. Ubi superficies interna Intestinorum tenuis, quæ membranosorum ramentorum speciem præse ferat, cum excrementis excernitur. 3. Ubi substantia Intestinorum sub forma quasi caruncularum (quæ revera glandulæ sunt à Peyer descriptæ) dejiciuntur. *Ratione* grassationis alia epidemica & maligna, alia privata & benigna dicitur; alia cum alia sine febre. *Ratione* affectorum Intestinorum, interdum enim Intestina conjunctim, interdum singula seorsim, nunc tenuia nunc crassa patiuntur: quod ex doloris loco, qualitate, tempore exiit excrementorum, & mixtione sanguinis purisve cum foecibus, nec non sive Intestinorum Authores dignoscunt. Plura de his qui desiderat adeat *Sennertum Ritterium* &c.

XI. Ad hujus morbi *Phanomena* quod attinet, seu signa *Diagnostica* vulgo dicta, sunt, frequens cruenta, mucosa, purulenta, saniosa, varia (sc. mixta bile, pituita, sero, &c.) ramentosa dejectio; *Tormina* Hip. de affect. p. 176. T. 24. *Fastidium cibi* *Cardialgia*, *Vomitus*, *Singultus*, *Lypothymia*, *Tenesmus*, *Procidentia Ani*, *Sitis aucta*, *Febris*, *Inquietudo*, *Vigilia*, *Convulsio*, *Virium*, & *Appetitus prostratio*, &c. quorum alia in aliis, pro varia Dysenterie gradu, & corporis dispositione, magis vel minus, conspicua.

XII. Horum omnium *Causæ* ex ante dictis deduci possunt. *Dejectiones varieab apertione vasorum quovis modo facta*, ut ante in *Causis* diximus; nam à Dyscrasia sanguinis & varia admixtione particulatum heterogenearum, nec non à varia Chyli Lymphæ & Humorum effervescentia, coagulatione, præcipitatione, & secessione (quibus multum conferre potest acidum coagulans) dejectiones producuntur variae. *Tormina*, à Corrosione Intestinorum & vellicatione partium nervosarum, motus enim peristalticus evadit convulsivus, unde magno cruciantur dolore Intestina. *Fastidium Cibi*, à fermento ventriculi, halitibus ex intestinis presertim tenuibus elevatis, aut particulis heterogeneis aliunde eo delatis, enervato, aut corrupto deduco. Halitus acres ad superius ventriculi orificium assurgententes & spiculis suis partes istas maxime nervosas pungentes dolorem excitant acutissimum, quem *Cardialgiam* vocamus. Quandoque etiam Diaphragma

phragma in consensum trahitur, vel particulæ acres, & acidæ ipsas Diaphragmatis partes sensiles vellicant, & motus convulsivos *Singultus* dictos excitant. *Sitis* potest oriri à particulis salsis cum saliva ad fauces allatis, nec non à nimia effusione Sanguinis, & Humorum, unde humores qui antea fauces humectarunt deficiunt, & corpus siccius redditur. *Tenesmus* à particulis acribus & viscidis circa Sphincterem hærentibus, illumque pungentibus, & ad continuos egerendi conatus stimulantibus, originem dicit; quibus, partibus istis continuo humorum fluxu emollitis, flaxidioribus factis, *Procedentia Ani* facillime supervenit. Item particulæ heterogeneæ tanta copia per Intestina fluentes, quomodo per vasa lactea communicari, ibique sanguinis effervescentiam p. n. inducentes, ejus mixturam turbando *Febrim* excitare possint, nemo non concipit; qua effervescentia halitus acres ad cerebrum delati, nervorum principia irritando, *Vigilias*, inordinatumque spirituum in partes influxum efficiendo, *Convulsiones*, producunt. Ultimo *Virium Debilitas* tot gravissima symptomata quæ hunc morbum Committantur necessario sequitur; cum enim *Sanguis* & humores effunduntur, intestina tantis doloribus cruciantur, *Spiritus* symptomatibus variis *Consumuntur*, Chylus in vasa lactea male distribuitur, adeoque *Nutritio*, & *Spirituum restauratio* impeditur, vires non possunt non deficere. Symptomatum *Causis* ita breviter explicatis, sequitur.

XIII. *Prognosis*, quæ ratione *Causarum*, *Differentiarum*, & *Symptomatum* variat. In genere vero difficilimum maximeque periculum esse morbum statuendum. Sec. illud *Hip. lib. de dieta III. Tom. 1. p. 253.* & *Tom. 2. p. 176. lib. de affect. §. 25.* sit autem hic morbus & longus, & laboriosus, & lethalis. Sic *Tom. 2. lib. 1. de morb. p. 4.* longos autem necesse est esse Tabem Dysenteriam, &c. Exquisita tamen Dysenteria vix potest inter morbos longos numerari, subvertitur enim, & prosteratur *Æconomia naturalis*, subtracto pabulo, forasque exturbato, vitæ atque Animalis *Æconomiae* sustentaculo: Chylo, Sanguine, Spiritibus, exclusis, profusis, ferocientibus, ipsaque partes solidas misere depopulantibus, particulis rigidis acribus magis minusve, pro Symptomatum gravitate, & numero; sic ut diros multosque labores, breve vero vitæ spatiū introducat. *Ratione Symptomatum* prædictorum sic *Hip. aph. 3. §. 6. à dejectione sincera mala est aph. 23. §. 7.* Sic ubi *ulcera* fiunt maligna, ubi graveolentia, porracea, nigra, excernuntur. *Vigilia immodicæ*, *Dejectiones sincerae*, *nigrae*, *fætidae*, *sanguinis copio-*

10 DISPUTATIO MEDICA

copiosa excretio, *Singultus*, *vomitus*, *præcordiorum dolor*, *sitis*, &c. Dysenteriam plerumque lethalem prænunciant, Teste Riverio *præx.* lib. x. cap. vi. §. 26. mali quoque ominis sunt dejectio valde glutinosa, instar placentæ ductilis, purulenta, saniosa, grumis splendentibus referata, spumans, foetens, acore molesta, præssina, æruginosa, atrabilaria *Aph. 22.* & 24. §. 14. *putrida caruncula* & morticinus foetor, pessima *Aph. 26.* §. 4. à Causa externa, quam interna facilius curatur. Pueri & senes sœpius pereunt, quam in media ætate constituti: item urerum gerenti in consistente muliere, valde periculosa. A loco etiam periculum Judicatur, Tenuum enim Intestinorum ulcera, Crassorum ulceribus, difficilius curantur, tam ob multitudinem vasorum, quam quod Medicamenta per Anum injecta, vix eo pervenire possunt. Tormina si continua sine ulla Induciis, aut cum Induciis sed majori cum sœvitia repetentia, mala. Item si subito in totum cessant Sphacelum portendunt; notante D. Wedelio *Dysentericos*, quibus sedes cruenta absque doloribus erant, illos levius quidem visos agrotasse, at agrotasse pessime, & plerumque mortuos. Dysenteria à pituita salsa acidaque mala. Superveniens hæmoris bona dicitur *Aph. 47.* §. vi. Sed non debet ea esse longa *aph. 43.* §. vi. sic. Tom. I. p. 567. n. 295. Longa enim *Hydrops* aut *Intestinorum levitates* inducere potest & pereunt agri *Aph. 43.* §. vi. ab *insania bona Aph. 5.* §. viii.

XIV. Missis ergo Theoreticis ad agenda accedimus. Quantum itaque ad Dysenteriæ curationem ex ante dictis, satis patet, hanc multum variare ratione diversarum *Causarum* internalium externaliumve, nec non *Differentiarum* respectu loci, materia peccantis, morborum quos insequitur, &c. quæ in individuis accurate distinguenda. In genere autem hujus ut aliorum morborum medela tribus nititur Indicationibus, quarum, 1. est *Curatoria*, hæc morbum ipsum respicit, & jubet vasorum apertorum occlusionem, & ulceris si adsit mundationem, exsiccationem, incarnationem, & cicatrisationem. Ut autem hæc tuto præstari possint. Succedit, 2. *Preservatoria*; quæ corrigit Causas apertioris aut exulcerationis vi pollentes, humores sc. antea in Causis culpatos, non solum qualitate sed quantitate, motu & loco peccantes, alterando, attemperando, evacuando & fluxum (ut plurimum aliunde ad intestina) sistendo & inhibendo. 3. *Vitalis* quæ tormina, dolores, febrem, stimulim implacabilem, aliaque symptomata graviora mitigando, vires bonas conservat, languidas refocillat, errorisque commissos corrigit. Sic ut tota cura consistet in humorum peccan-

peccantium quantitatis evacuatione, qualitatum correctione, ab intestinis abstersione, ejus fluxus præventione, symptomatum mitigatione & ita vasorum apertorum occlusione, ulceris si adsit consolida-tione, & sic Dysenteriæ curatione. Materia remediorum qua his satis-facere possumus Indicationibus, ex tribus itidem fontibus *Chyrurgia*, *Pharmacia*, & *Dista* desumitur.

XV. *Chyrurgia* V. S. (quæ potius præservationi quam curationi conductus) nobis proponit, de qua authores multum litigant, nos autem Dysenteriam per se non indicare V. S. putamus, sed ratio-ne symptomatum & circumstantiarum; ideoque in principio, con-stantibus viribus, urgente febri non maligna, magna humorum ebullitione, dolore atroci, vigiliis, Juveni plethorico, suppressa lan-guinis, evacuatione, regione aërisque constitutione fervida, V. S. concedimus liberam, alias non. Ex eodem etiam fonte, *Frictiones* partium externalium petuntur, quæ caute administratae, sc. loco calido, frigus inter peragendum & postea, cavendo, cum poros apperint, & miasmata ad corporis superficiem allicunt, suas meren-tur laudes.

XVI. *Pharmacia* varia nobis suppetit remedia, prædictis Indica-tionibus satisfacientia, quæ fere ad evacuantium aut alterantium Clas-sem reduci possunt, plerumque ab evacuatione initium fit, & quidem per alvum; acres enim biliosi pravique humores, qui ad affectam ruunt partem, Medicamentis aliqualiter laxantibus educendi, & ne fluxum fluxui implicemus, ea quæ virtute leviter adstringendi predi-ta sunt adhibenda, Sæpius autem repetenda erit evacuatio, eo quod nova continuo suggeratur vitiata materia, in quem finem optime convenit Rhabarb: in *substantia*, cui pro re nata Macis Cinam: N. M. Mastich. oc. Cancr. Nitr. &c. addi possunt; quandoque in infuso, ad-ditis & aliis purgantibus & correctoriis, de quibus vid. *Rev. Sennert.* &c. quæ pro variis circumstantiis repetenda & mutanda; interim vitan-da acria & fortiora purgantia, qualia sunt Diagridiata, &c. Caute etiam hæc agenda sec. illud *Hip. aph.* 24. §. 1. & 29. §. 2. Semper memores acidum hic ut plurimum peccare, quod non purgandum nisi corre-ctum; item habita causarum & symptomatum ratione, ut in Dysen-teria Epidemica, ab Hypercatharsi, Contagio, cum febre maligna ubi purgatio vix convenit, sed ad sudorifera, præcipitantia, imo opia-ta fugiendum; Quandoquidem etiam in omni fere Dysenteria dolores maxime urgent, spiritus ferociunt, humores sunt acres, & in

12 D I S P U T A T I O M E D I C A

progressu vix autem in principio ulcus fieri putarem, istæ Causæ, & symptomata urgentia, quæ revera morbi sunt, quibus curandis pro hic, & nunc incumbendum est Medico, respiciendæ. Ergoque ea quæ pluribus scopis respondeant optimè miscentur, & propinanturn. Ita expertissimus Lindanus Anodynum, & præcipitans, cum purganti & leviter astringenti conjungit v. g. *& Diaſcord.* *Fracast.* à 3*ʒ* ad 3*j.* *Rhabarb.* pulv. a 3*ʒ* j. ad 3*ʒ* Land. opiat gr. 1. aut gr. ij. *Syrup. de Rosis siccis Q. S. M. F. Bolus,* detur vesperi, & si opus reperatur mane. Ub̄i saburra in primis viis, præmittenda erit purgatio, post purgationem optime datur Paregoricum, nec in maximis tormentibus ab opiatis, & Narcoticis, false Necroticis dictis abstinentum, cum tot præstant exempla Dysenteriarum per sola opiate curatarum, sic *Riv. Cent.* 1. obf. 64. & *Cent.* 2. obf. 84. quibus sudorifera, præcipitantia, aut specifica appropriata, possunt admisceri de quibus in sequentibus.

XVII. Interim *Clysteres lenientes, abſtergentes, in principio injiciantur;* postea vero glutinantes, adstringentes. Quandoque ea possunt misceri quæ pluribus Indicationibus respondeant, sic detergentibus lenientia, & glutinantia, imo adstringentia magis minus pro ratione Indicationum, & circumstantiarum recte adduntur; præcipue si Tenesmus urgeat, aut colluvies morbosæ in crassis hæreat Intestinis. Hoc enim medicamentum Intestina detergit, aciem particularum infestantium obtundit, acrimoniam acidam, salinam &c. mitigat, & quod maxime laudandam, integris ferme viribus ad partem affectam pervenit; horum ingredientia ubique extant apud Authores, qualia sunt, *Herba vulneraria*, Plantag. Hyperic. Heder. Terrest. Verbas. Pimp. Pyrol. Virg. aur. Pylosel. Sanicul. Rad. Consolid. maj. decoct. ex lacte vel solo, vel add. Vitel. ovor. vel mucilag. Sem. Psilli, Cydon. vel quæ aliquo modo adstringunt, ut Flor. Ros. rubr. Bistort. Tormentil. vel abſtergent ut decoct. Hord. Furf. Tritic. cum Sacchar. aut Mel. rosac. imo quandoque Beta, Parietar. Terebinth. Chymici nonnulli ol. ceræ ad 3*j.* in Clysteribus dissolvunt, eoque ventrem inungunt notante *Riv. p. 687.* his addantur Glutinantia (vulgo dicta) Gum. Trag. Arab. Thus mastich &c. Ad Consolidandum & detergentium Balsam. sulph. Terebinthinat. Anisat. Succinat. Hypericonat. ut & Bals. Italic. non male in usum revocantur; & si ulcus in tenuibus intestinis hæreat, per os exhibeantur. Cavendum tamen ne Intestina nimium irritemus, & sciendum ad abſtergendum majorem, ad consolidandum mi-

norem

norem infusi mensuram requiri, nec ubi Tenesmus cum hiatu Ani ad-
est, Clysteres multum prodesse.

XVIII. Ad *Vomitoriorum* usum quod spectat, maxima cum cautela
ista sunt propinanda, ne maximam perturbationem spiritibus jam fu-
rentibus, & sanguini nimium ebullienti inducant, & materiam peccan-
tem, ex inferioribus ad superiora, retrahant. Si vero ab assumptis
Dysenteria promanavit, & materia peccans adhuc in primis viis hæ-
reat, Æger ad vomitum proclivis sit, atque aliae circumstantiæ con-
currant, Emeticum mitissimum, ut ol. amygd. cum Decoct. Hord.
Decoct. Vincetox. Cerevis. butyrat. aq. tepid. exhiberi potest; absti-
nendo ab Antimoniatis &c.

XIX. *Diaphoreтика* quandoque aliis additâ suo tempore, & partitis
vicibus exhibita ratione habita circumstantiarum, caesarum, &c. in
Epidemica vero, & ab *Hypercatharsi*, omissis purgantibus fere sola pro-
funt. Hæc enim non solummodo acrimoniam temperant, sed etiam
suo modo evacuant, ergoque faburra humorum in primis viis vel non
data, aut sublata, in omni Dysenteria convenient. Huc spectant
varia simplicia uti Angelica Contrayerv. Scordium, Scabios. item aq.
Diaph. Menth. Fenic. Sal. Card. &c. Terr. Lemn. Sigil. Antim. Diaph.
oc. Cancr. Coral. lap. Bezoar. uterque, pulv. Bezoar. Sennert. Tinct.
Bezoar. Spir. & liquor terr. Sigil. Aq. Theriac. Elix. P.P. pro specificis
habentur priap. Ceti; Tauri, Cerv. ad ʒj. in pulv. item C. C. c. &
f. igne præp. ut & ejus gelatina. Usnea Cranii human. de cuius arca-
nis contra quamcumque Hæmorrhagiam vid. *Helmont. de magnet. vuln.*
cur. & *Nobiliss. Boyle Philosoph. Experiment.* similiter Hepar Viper.
Crystal. Stercus canis ossa comedentis, Aq. Suberata, Uvæ Quercin. ex
quibus varie componi possunt formulæ, sequentem laudat Ethmulle-
rus & Decoct. Priap. Cerv. ʒj. Syr. Corall. Querc. ʒij. l. iij. Aq. Ci-
nam. ʒj. M. pro Julepo, de quo Capiat tubinde ʒjj. iiiij. *Diuretica* etiam
hic locum habent caute autem nimis calida adhibenda, ne alias malum
augeatur, sec. illud *Cels. lib. 4. Cap. 15.* ea que urinam moveant, si id con-
secuta sunt; in aliam partem humorem avertendo profunt: Si non sunt consecu-
ta noxam augent. Itaque nisi in quibus prompte id facere consueverunt, non sunt
adhibenda. Optime etiam Cl. Vallan Praeceptor meus ætatem veneran-
dus notavit multa que contra dolorem, siim, &c. prescribuntur, etiam *Diure-*
sin, quin, & *Diaphoresin* leniter movere, imo & ista que ad leniendam acri-
moniam, & acidum infringendum dantur talia esse, quin quod talia inter usu
neraria,

14 DISPUTATIO MEDICA

ueraria, & iiii finitima extent. Huic scopo inserviunt Rad. Gram. Herb Capillar. Balsama sulph. prædicta, species Diacumin. emulsiones semi num, & alia Bezoardicis miscenda.

20. Correcta itaque *qualitate*, & evacuata *quantitate* materiæ Adstringentia, Roborantia, Anodyna, Glutinantia, Consolidantia hic locum vendicant quandoquidem autem per totum morbi decursum *varia* pro variis gradibus, temporibus, & circumstantiis secundum Indicationes eligenda, evacuantibus aliisque addenda, miscenda, nos etiam illa in præcedentibus (unde petenda) aliquousque tractavimus. Hic ergo pauca solummodo enumerabimus. Inter Adstringentia laudantur Cydoneata, Rad. & fol. Plantag. Cort. Granat. fol. & fruct. Querc. Balauſt. fl. Palm. Christ. pulverifat. ex Aq. Chalib. vel propria sumpt. Cattechu, Tinct. Mart. adstring. Syr. Myrtin. Specificum in hoc morbo est, Tragea Granorum Actes, cuius R 3j. N. M. tantundem, quibus mixtis, cum ovo parum coct. incorporentur, & forbenda exhibeantur, vel cum aq. Dysenteric. q. f. misceantur, hæc autem in principio non sunt adhibenda, quid enim hoc esset nisi furem in stabulo claudere, de cuius consequentiis optime Hip. Tom. 2. de Vite Acut. T. 54. p. m. 312. Lenientia & Anodyna sunt juscula pinguia ol. Amygd. dulc. Rosar. Adipes Gallin. Anserin. Hircin. additis aliis ex ante dictis, & per os, vel per anum adhibitis; imo ipsa narcotica, Syr. Papav. err. Cap. & Sem. Papav. alb. ut & ipsum Laudanum, & ex eo composit. Mithridat. Diascord. Philonium, Pil. de Cynogloss. mucilag. Sem. Succ. Papav. err. Mandrag. dolorem leniendo Somnum conciliando, fluxum si stendo &c. magnam afferrunt utilitatem. Cavendum tamen ne tonum ventriculi destruant &c. Externa quoque Remedia Topica congrua, internis suppetias ferunt, quorum ingens farrago apud Sennert. & alias extat, ad quos Lectorem ablego.

XXI. *Ad Diatam* quod attinet aer sit temperatus, cibus qui facile concoquatur, & bonum sanguinem producat. Juscula Vervechina Gallinac. Agrimon. Plantag. Argentim. Tap. Barbat. Hyperic. &c. alterata. ita Decoct. ex omasis, pedibus & capit. vitulinis cum Santalo, Mace, Cinam. &c. Gelatin. C. C. Raf. Ebor. & similibus. Lac. Bubul. Caprin. in quo silices, ferrum, aurum, &c. ignita aliquoties extincta sunt. Pultis ex oryza. Amylum & farina in lacte Decoct. cui Cort. Querc. &c. possunt addi. Pro Potu vinum convenit rubellum adstringens cui add. Sacchar. rosat &c. similiter Vinum Tint, Malvaticum cum Chalib. aut oc. Cancr. Vitentur morda.

mordacia, acetosa, salsa, &c. ante in Causis dicta. *Exercitium Motusque vitentur, Quies imperetur, Somnus concilietur, Animi perturbationes ablegentur.* Verbo, habeatur ratio temperamenti, sanguinis, humorum, temporis anni, Symptomatum urgentium, circumstantiarum, & indicationum, & sic annuente Summo Numine, felix operationi medicæ respondebit eventus; Tamen

*Non est in medico semper relevetur ut ager,
Interdum docta plus valet arte malum.*

COROLLARIA.

I.

Ulcus ut plurimum non est Causa sed effectus
Dysenteria.

II.

Mucus copiosus qui dejicitur, non est Velamentum Intestinorum, sed quid productum ex Chylo, Lympha, Spiritibus &c. varie mixtis, mutantis, & corruptis.

III.

Quandoque tamen non solummodo velamentum, sed & partes integrantes Intestinorum excerni possunt Aph. 4. 26.

Morbi

I V.

*Morbi simplices in speculatione; non autem in
praxi reperiuntur.*

V.

*In morbis curandis medicamenta non ad morbi de-
finitionem, sed ad Ægri circumstantias ac-
commodata,*

V I.

*Ergo formula potius ad lectum, quam in musæo
componenda.*

V II.

Narcotica non usu, sed abusu fiunt Necrotica.

F I N I S.

